

nem multoties minimum directa, pervertere facilius potuerunt etiam hi, qui furtis & rapinis litant, ut vociferari audeant, mundum dominiis & proprietatibus distinctum, hac sua invasione, & injustissima rerum propriarum possessione deturbandum esse; Imminere tempora, ubi hi injusti nominis possessores, injuriosis suis Juribus sint dejiciendi, & *mundum vel ab ipsis furibus nunc esse puniendum*. Prædia hominesque ditiores suis facultatibus exuendos & *necessaria*, quæ omnibus debentur, sic rursus repetenda & requirenda esse.

Absona & absurda hæc omnia reputabunt omnes, qui prudentia debita instruuntur, ne tamen hujus rapacis quæstus nescii plane forent, sequens & fere horridus casus manifestius docuit; Cum namque in terris Meclenburgicis divagantur nebulones, & rapidæ istorum manus, nec bonis privatorum, nec ipsi publico, aut ecclesiarum piis parcant collectis, quicquid etenim furari possunt, id suum arbitrantur; tunc eo audaciæ imo furoris processit nequitia, ut superiori anno ac mense Septembri duas Epistolas miserint per nuntios publicos, ad Prætorem Urbis Cræpelinensis transferendas, quarum prima ad *Cauponem Brunshæfdensem*, altera vero ad *Generosissimum Provinciae nostræ, magnorumque Meritorum VIRUM* scripta fuit, & in utraque, quod jam designavimus, literis quidem ad dextram elevatis & suspensis, exhibuerunt. Ut & tenor ipse in rei vere petulantis ac horridæ memoriam superfit. En ! totum furoris contextum ;

*Ad*